vidi unum de dentibus S. Christophori, os utique magnum et ingens, argento inclusum, et unam draconis linguam trium palmarum longitudinem habentem, quam dux inter reliquias reposuit in memoriale perenne Dicitur enim, quod temporibus gigantum quidam gigas patriae illius princeps ingentem peremit draconem, linguam ejus reservans, haereditario jure ducibus Pontinensibus eam relinquens. Si liceret nobis cum poetis fingere, dicere possemus, hunc gigantem de sobole Herculis ortum, quae semper inimica draconibus serpentibusque ac monstruosis feris exstitit, nam ipse Hercules in cunis infans existens serpentes a Junone ad se missos occidit, manu capita eorum puer viriliter apprehendens, et perfectae aetatis pervigilem draconem horti aureorum pomorum interemit et aurea mala rapuit puellis Hesperiis. Gigas, de quo sermo est, audiens in Alpibus Carneis et Rhaeticis fore vallem aurea mala gignentem, sed ab insidiosissimis feris possessam, assumtis ergo sociis Alpes ingressus et peremtis possessoribus earum in hanc pervenit vallem et draconem repertum interemit locumque argento septum possedit, in quo aurea mala habuit; argento enim montes paene omnes in gyrum virent, quo de mineriis extracto aurea mala, ducatos florenosque facile est reperire. Nam omnis illa terra argento referta est, unde sole splendente arena et lapides scintillant visumque inspicientis repercutiunt, et quod dicitur de Pyrenae montibus mirandum, revera de nostris Julianis Rhaeticisque Alpibus ac Fericiis montibus similiter fingi posset. Praefati enim montes silvosi sunt, et priscis temporibus casu per pastores ignem sibi facientes incensa sunt omnia ligna igne, et omnis regio combusta, ideo etiam pyrenae dicuntur. Ardente autem continuis diebus igne plures ex montibus argenti puri rivuli flammarum vi effluxerunt. Sic, sic, si nostrarum Alpium ligna arderent et viscera illius nobilis terrae incalescerent, haud dubium, quin e visceribus copiosum argentum per modum rivulorum usque in valles desudaret.

Ende

Anfang

Igitur a montanis per plana equitavimus ad Pontinam civitatem et ingressi urbem eam repletam nobilibus et armigeris invenimus, quia aliqui principes et marchiones et barones cum archiduce erant, siquidem ipse dux terrae uxorem acceperat, ducis Saxoniae filiam, et ad nuptias celebrandas universae Alemanniae nobiles confluebant, et ita tota civitas fuit praeoccupata in tantum,

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;